DE
CHRISTI DOMINI
IN COELUM ASCENSU
ORATIO
Habita in Sacello Pontificio

CORAM SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTE XI.

PONTIFICE MAXIMO

Ipso Ascensionis die

A JOSEPHO DE NOBILIBUS VITELLESCHI
ROMANO.



ROMÆ MDCCXVII.


Typis Jo: Mariæ Salvioni in Archigymnasio Sapientiæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

CLEMENTI XI.

PONT. MAX.

JOSEPH DE NOBILIBUS VITELLESCHI
Felicitatem.



Vid arduum ſit magìs, B*EATISSIME* P*ATER*, *coram Te dicere, an verò ad Te ſcribere, illi etiam profectò ignorant, qui vel córam Te dicere, vel ad Te ſcribere conſueverunt. Scribentem quippe deterret dignitas gradus, dicentem vultus Majeſtas;*

scribentem simul, ac dicentem Sapientia Mentis. Unum tamen est, quod scribenti ad Te mihi animum adjicit, & vehementer accendit; idemque futurum spero, quod dicenti coram Te mihi fiduciam præbeat, & vires Clementia nempe illa tua, qua Majestatem, & Dignitatem ornas gloriosiùs; Sapientiam verò sublimiùs elevas. Illud etiam accedit grande timoris levamen, Materies scilicet ipsa Orationis meæ; qua nil suaviùs, jucundiùs nihil audiri, aut legi à Te posse arbitror; Cùm inquam, Homo Deus Christus JESUS, *cujus Tu Vicariam in Terris Potestatem geris, devicta mortis lege, deleto Adami peccato, reconciliato*

August. ser. 107. de Temp.

huma-

humano generi Patre, raptiſque ſecum inferni portis, novus, & melior Sampſon, Triumphator ſuper omnes Cœlos aſcendit, non furtim ſublatus, ut Enoch; non Bernard. de Grad. Hum. cap. 1. *ſubitò, ut Elias, raptus; ſed, videntibus Apoſtolis, elevatus.* Act. cap. 1. *Hæc ſunt,* BEATISSIME PATER, *quæ me in ſpem erigunt, atque confirmant fore, ut quæ ſcripſerim, ſive dixerim, non injucunda oculis, non ingrata auribus eſſe tuis poſſint, argumenti nempe Pondus, & Pretium Clementia Audientis, atque Legentis. Hujus ergo Clementiæ ope fretus, & Argumenti dignitate, quæcunque illa ſint, quæ pro Ingenii Viribus ſive ad Te ſcribere, ſive coram Te dicere primùm*

aggredior; libenter, imò, si addere etiam hoc liceat, alacriter offerre Tibi minimè vereor. Hoc unum superest, ut sive ea, quæ scripsimus, legas; sive audias, quæ dicemus, nihil in Oratione consideres, nisi materiem; nihil in Te verò, nisi Clementiam, neque enim aliter, aut placere Legenti Oratio poterit, aut Orator Audienti. Interea illud erit unicè in votis mihi sive scribenti, sive dicenti, ut Deus ascendens in Cœlum incolumem diu SANCTITATEM VESTRAM *servet in Terris, communi Ecclesiæ bono, Urbisque, & Orbis, privatæ, & publicæ Felicitati.*

ORATIO.



Emo ergo aſcendit in Cœ- *Joan.3.*
lum, Beatissime Pater,
niſi qui deſcendit de
Cœlo? Durus profectò
eſt hic ſermo, ut minùs *2.ad Cor.11.*
ſapiens dico; Et quis *Joan.6.*
poteſt eum audire? Si nemo enim aſcendit in Cœlum, niſi qui de Cœlo deſcendit, quomodo nos aſcendemus in Cœlum, qui nunquam de Cœlo deſcendimus? Sed ecce novum myſterium vobis *1.ad Cor.15.*
dico. Deſcendit de Cœlo Lucifer, neque ideo aſcendet in Cœlum. Aſcendit in Cœlum Petrus, neque unquam de Cœlo deſcendit. Aſcendent tandem & Juſti omnes; Aſcendemus & nos cum Juſtis, ſi juſtè vivamus in hoc ſeculo, ſimulque rapiemur cum illis obviàm Chriſto in aëra. Sed quomodo aſcendemus cum Chriſto, qui nunquam cum Chriſto deſcendimus? Detur, oro, mihi ſermo in *Ad Ephes.6.*

aper-

apertione oris mei cum fiducia, notum facere Myſterium Euangelii hujus, ita ut in ipſo audeam, prout oportet me loqui.

Duo erant, quæ maximè deſiderabantur, ut Homo cum Chriſto aſcenderet, licèt cum Chriſto non deſcendiſſet: Unio ſcilicet Verbi cum Natura noſtra, Unio Naturæ noſtræ cum Verbo; Unio Capitis cum membris, Unio membrorum cum Capite; Unio DEI cum humanitate, Unio humanitatis cum DEO; *Ad Phil. 2.* Quamobrem deſcendens in terras DEUS in ſimilitudinem Hominum factus, ſervique formam accipiens propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis; *In Symb. Fid.* licèt proinde de Cœlo non deſcenderimus, ipſe pro nobis omnibus de Cœlo deſcendit, ut cum ipſo omnes in Cœlum aſcenderemus. Aſcendit in Cœlum Petrus, qui nunquam de Cœlo deſcendit; Deſcendit de Cœlo Lucifer, qui nunquam in Cœlum aſcendet. *Joan. 5.* Nolite autem mirari ſuper hoc; Nuſquam

quam enim Deus Angelos apprehendit, *Ad Hebr. 2.*
ſed ſemen Abrahæ, neque Angelis pec-
cantibus unquam pepercit, ſed rudenti- *2. Petri 2.*
bus inferni detractos in tartarum tradi-
dit cruciandos.

Regnat propterea Humanitas jam
ſuſcepta à Verbo ad dexteram Patris ſe-
dens; Aſcendens ſiquidem in altum Ho- *Ad Epheſ. 4.*
mo Deus carnem de nobis aſſumptam in
Cœlum Victór deduxit, ut naturam hu- *Aug. lib. 7. de Div. Eſſ.*
mani generis, quæ à Diabolo captiva de-
tinebatur, ſecum transferret in Patriam, &
ubi nunquam antea fuerat, ad Patris dex-
teram collocaret. Jam ergo Filius trium- *Chryſ. ſer. de Aſcenſ.*
phans Naturæ noſtræ primitias obtulit
Patri. Abſcondita eſt jam vita noſtra cum *Ad Coloſſ. 3.*
Chriſto in Deo. Jam ſurſum cum illo ſu- *Auguſtin. in Pſal. 127.*
mus ut membra cum Capite, & ille adhuc
deorſum eſt, ut Caput in membris. Aſcen- *Idem ſer. 1. de Aſcenſ.*
dit ſiquidem Caput, ſed non receſſit à
membris; Immo ecce cum membris eſt *Matth. 28.*
omnibus diebus uſque ad conſummatio-
nem ſeculi. Exivit quidem à Patre, & venit

in

1. ad Tim. 2. in Mundum: Iterum relinquit Mundum, & vadit ad Patrem. Sed quia Mediator est DEI, & hominum, homo Christus JESUS, quemadmodum descendens ad nos à Patre, non recessit à Patre, ità ascendens à nobis ad Patrem non recessit à nobis; nec deseruit Patrem, cùm indè exiret; nec nos deseruit, cùm rediret.

Aug. in Joa. tract. 102.

Nunc verò (quod alterum erat caput Orationis meæ) quoniam implevit Christus id, quod ex nobis deerat, quid stamus aspicientes in Cœlum? Adimpleamus & nos, quæ desunt Passionum Christi; Quid autem deest Passioni Christi? Deest unio membrorum, non quidem omnium, sed multorum tamen cum Capite. Pater sancte (clamat Caput ad Patrem, postulatque pro omnibus membris gemitibus inenarrabilibus) Pater sancte, serva eos, quos dedisti mihi, ut omnes sint unum, sicut & nos; Volo enim, ut ubi ego sum, & illi sint mecum. Hæc sunt Christi ascendentis, & amantis vota; & ideo

Ad Phil. 2. Actor. 1. Ad Coloss. 2. Joan. 18. Ad Rom. 8.

ideo aſcendentis, quia amantis, ut quò ſcilicet præceſſit Caput, eò ſequantur & membra. Nè ergo ſolus aſcendat Chriſtus in Cœlum, qui ſolus de Cœlo deſcendit, quid debent membra ejus facere? Uniri debent Corpori Chriſti, ut ſit unus Chriſtus, qui aſcendit, & qui deſcendit; Chriſtus autem Caput eſt Corporis Eccleſiæ, ut membra igitur uniantur Capiti, priùs Corpori uniantur neceſſe eſt.

Auguſtin. in Pſal. 20. *Auguſtin. in Pſal. 122.* *Auguſt. ibid.* *Ad Eph. 5. & ad Coloſſ. 1.*

Aſcendit ergo Caput in Cœlum cum Corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, qui membra non ſunt Eccleſiæ non ſunt membra Corporis, non ſunt membra Capitis, non ſunt membra Chriſti. Chriſtus unus, & ſemper unus, Eccleſia una, & ſemper una. Unum Caput Eccleſiæ Chriſtus, Unum Corpus Chriſti Eccleſia. Veritatem ergo facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus, ex quo totum Corpus compactum, & connexum augmentum facit in ædificationem ſui. Creſcamus, & aſcendamus in corde, in affectu

Auguſtin. in Pſal. 122. *Ad Epheſ. 5.* *Ad Epheſ. 4.* *Auguſtin. in Pſal. 120.*

fectu bono, in Fide, Spe, & Charitate, in desiderio perpetuitatis, & vitæ æternæ.
S. Leo ser. 1. de Ascens. Ecce enim Christi ascensio, nostra provectio est, & quò processit gloria Capitis, eò Spes vocatur, & Corporis. Audiant ergo omnes, qui nobiscum sunt, hujus Corporis membra; Et oh utinam in omnem
Psal. 18. Terram, & in fines Orbis Terræ exeat sonus verborum Pauli: Sectamini Charitatem; super omnia Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis, in qua
1. ad Cor. 14.
Ad Coloss. 3. & vocati estis in uno Corpore; Cùm enim
2. ad Cor. 5. omnes manifestari oporteat ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria Corporis, prout gessit, sive bonum,
Aug. in Joa. tract. 5. sive malum, quid nisi sola Charitas discernet inter filios DEI, & filios perditio-
Ad Heb. 10. nis. Magnum judicium! Magna discretio! Terribilis Judicii expectatio! Sed adhuc terribilior adventus Judicii, quando nempe hic JESUS, qui assumptus est
Actor. 1. à nobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidimus eum ascendentem in Cœlum.